

III. *In communi necessitate*, licet nulla sit obligatio dandi eleemosynam huic aut alteri in particulari, attamen ex communi DD. sententia a peccato excusari non posset, qui bona etiam statui superflua habens, nullam unquam eleemosynam largiri vellet (4).

ex superfluo statui. Verum eiusmodi propositio nimis vaga est, ut ex ea inferri conclusio illa queat; et undecumque spectetur, plane permittit etiam oppositam sententiam, quae habentem superflua statui seu decentiae obligat utique ad eleemosynas elargiendas etiam extra occasionem extremae vel quasi extremae necessitatis, nec tamen huic vel illi necessitatem etiam gravem patienti succurrendi onus imponit. Unde recte Duarte (*Brev. Exposit. Propp. damnatt. V.* Eleemosyna n. 222.) negat, posteriorem hanc opinionem vi damnationis illius ullatenus vulnerari.

Caeterum si de pondere auctoritatis inquiras, communiter quidem primam opinionem a DD. tradi plures inquirunt. At vero si DD. illos ipse consulas, ea passim reperies necessitatis exempla proponi, quae quasi-extremam necessitatem exhibent.

Si autem vim rationum inspicias, non diffidendum est, utramque opinionem sat validis premi difficultatibus, adeo ut concludere demum fas sit, hanc quaestionem obscuram valde atque implexissimam esse. Qua de re fac adeas Vasquesium (*Opusc. De eleemosyna*, cap. 1. dub. III.), qui certe suspectus videri eo minus debet, quod in severiorem doctrinam inclinans gravem eleemosynae obligationem in gravi proximi necessitate etiam ex necessariis statui defendere non dubitat, utut ianseniana Montaltii seu Paschalis perfidia ipsum ceu praemissae damnatae thesisi auctorem traducere nihil cunctata fuerit.

Ex hisce itaque inferes, in hac quaestione accersendum tandem illum canonem esse, obligationem certam in re tam obscura et controversa (Vid. Sanchez, *Consil.* lib. 1. cap. 5. dub. 5. n. 39. 40.)

urgeri nequaquam posse, eo vel magis, quod pro opposita sententia stet etiam S. Thomas, prouti et ex Nota seq. patet, et ipse quoque Vasquez (l. c. dub. IV.), licet contra se, tandem fateri cogitur.

(4) Hoc statuitur contra opinionem, quae in communi necessitate nullam admittit obligationem dandi etiam ex superfluis statui seu decentiae; quam quidem opinionem Bannez (in 2. 2. q. 32. art. 6. dub. 2.) tribuit *Alensi, Gabrieli, S. Antonino, Turrecrematae, et aliis Summistis*, et ob eorum auctoritatem (ibid. Concl. 3.) *haud improbabilem* illam dicit: absolute autem probabilem ipsam appellat Petrus Ledesma (*Summ.* part. 2. Tr. 4. eap. 3. Concl. 13.).

Quod autem de communi necessitate A. hic habet, id ipsum de gravi concludi potest cum S. Thoma (Quodlib. 8, art. 12.): *Supposito* (inquit), *quod aliquis habeat de superfluo, ... quod tenetur pauperibus erogare, aut videt in paupere petente evidentia signa extremae necessitatis, aut non. Si videt, certum est, quod tenetur dare, et peccat non dando: in hoc enim casu loquitur Ambrosius: Pesece fame morientem: si non paveris, occidisti. Si vero non appareant, tunc non tenetur dare pauperi petenti: quia quamvis teneatur dare superfluum pauperibus, non tamen tenetur omnibus dare, nec huic dare, sed tenetur distribuere secundum quod sibi visum fuerit opportunum.* In quibus patet, eleemosynae dandae obligationem ex parte pauperis tunc solum asseri, si huius necessitas extrema appareat. Superfluum vero, ex quo hic desumitur obligatio aliquam generatim eleemosynam erogandi, intelligendum esse de superfluo

228. *Quaesita*. — QUAER. 1^o *An sub gravi obliget praeceptum eleemosynae?*

Resp. 1^o *Affirm.*, in extrema necessitate. — *Ita omnes.*

Resp. 2^o *Etiam affirm.*, in necessitate gravi, quae mox in extremam verti possit. Secus de peccato gravi non constat, cum res apud DD. controversiae subiiciatur. Praeceptum autem eleemosynae est in se grave, et imo etiam respicit necessitatem communem, cum casus necessitatis gravis raro eveniant. — *Ita communiter* cum S. Lig. n. 32. (5), contra Busemb. et plures alios.

QUAER. 2^o *Quaenam bona censeantur statui necessaria?*

Resp. Ea sunt, quae requiruntur ad famulos sustentandos, hospites recipiendos, ad honestas donationes, ad convivia de more instauranda, ad moderatam pro conditione pompam, etc. — *Ita communiter.* — S. Lig. *ibid.*

etiam decentiae status, cum saepe alibi, tum hoc loco S. Thomas clare tradit (in 4. dist. 15. q. 2. art. 1. q. 2. ad 4.): *Tempus, ad quod obligat praeceptum de eleemosynis faciendis, accipitur ex parte accipientis et ex parte dantis. Ex parte autem accipientis, quod apparent signa probabilia extremae necessitatis futurae, nisi ei subveniatur... Ex parte autem dantis, quando habet homo multa, quibus non indiget neque ad sustentationem vitae sui et suorum, neque ad decentem status sui conservationem, etsi pauperes extremae necessitatis non compareant.*

(5) S. Alphonsus (lib. 2. n. 32.), ut patet, opinioni, quae stat pro gravi obligatione, adhaeret quasi communiore. At enim dum tredecim auctores pro ea allegat, contra pro opposita, quae vel nullam vel levem dumtaxat in hac obligationem admittit, ipse enumerat septemdecim, quibus et alii addi facile possent. Insuper autem cum ex tredecim illis, quos pro se citat, decem habeas, Palaum nempe (Tr. 6. disp. 2. pñet. 2. n. 15.), Salmanticensis (Tr. 21. cap. 7. n. 17.), atque octo alios ab his adductos, qui pro aliqua obligatione utique pugnant, sed hanc gravem esse dicendam nusquam tradunt:

exinde concludere est, hanc opinionem non communem esse, sed quorundam paucorum contra communem.

Exinde idem S. Alphonsus (l. c.) non reiicit sententiam Laymanni, scilicet quod Confessarius diviti, qui nullam eleemosynam dare velit in communibus necessitatibus, non facile absolutionem negare debet, cum de hac obligatione, qualis sit, doctores non consentiant. Et Sanchez, qui alioqui (*Consil.* lib. 1. cap. 5. dub. 5. n. 37.) pro gravi stat obligatione, demum (ibid. n. 41.) concludit, non facile quempiam damnandum, haec ex Medina referens: *Quia est nimis difficile iudicare, cui, et quantum sub mortali teneamur dare; quia incertum est, per quid necessaria a superfluis distingui possint; et quae et quanta necessitas in paupere requiratur; quantum etiam unicuique ad naturam et statum sit necessarium; et an vera sit, an simulata pauperis necessitas; et an sint alii divites, qui velint illis succurrere; multaque alia incerta sunt, ob quorum ignorantiam non sunt facile damnandi.* Conf. Diana (tom. 4. Tr. 7. res. 8.) ubi in gratiam Confessarii, qui in excipiendis confessionibus divitum magnis premebatur angustiis, plura egregie adnotat.

QUAER. 3^o *Quaenam quantitas bonorum sit pauperibus danda?*

Resp. 1^o In necessitate extrema, vel ita gravi, ut extrema facile evadere possit, dandum est quantum sufficit hic et nunc ad levandam hanc necessitatem, nisi sint alii, qui ipsi subvenire velint. Nemo tamen tenetur magnam pecuniae summam erogare ad pauperem a periculo mortis liberandum, vel ad remedia extraordinaria et magni pretii ei procuranda (6). — S. Lig. n. 31.

Resp. 2^o In necessitate communi, quantitas determinata assignari nequit. *Probabilius* tamen sufficere videtur erogare quinquagesimam partem eorum, quae statui supersunt. — *Ita communius.* — S. Lig. n. 32. et in *Hom. Apost.* n. 19. (7). Quidam tamen vigesimam aut etiam decimam partem esse pauperibus erogandam contendunt. Sic Concina, etc.

QUAER. 4^o *Quinam debeant, aut possint eleemosynam facere?*

Resp. 1^o Illi soli generatim, qui sunt veri domini, et bonorum suorum administratores (8).

Resp. 2^o Uxor tamen eleemosynas ordinarias et valde communes facere potest, iuxta morem conditionis suae; non autem extraordinarias,

(6) Exinde recte post alios Palaus (Tr. 6. disp. 2. punct. 2. n. 6.), quod licet in extrema proximi necessitate tenearis ad succurrendum etiam ex bonis statui necessariis, non tamen eo usque teneris, ut a statu decidere debeas.

(7) Quidam, uti Roncaglia, Mazzotta, etc. apud S. Alphonsum (lib. 2. n. 32.) hanc mensuram sic exprimunt, quasi pauperibus eroganda sit *pars quinquagesima annuorum reddituum*; quae regula dum non distinguit superflua a non superfluis, plane sonat quid absurdum. Clarius S. Alphonsus (*Hom. Apost.* Tr. 4. n. 19.) sic habet: *Non tamen adest obligatio praestandi totum superfluum, sed sufficit, si detur quinquagesima pars annuorum proventuum, qui supersunt..., et si redditus sunt pinguiores... minus (h. e. maius) quinquagesima parte.* Et mens DD. patet perspicue ex comparatione laicorum cum clericis, dum hos obligant ad erogandum totum superfluum ex fructibus beneficiorum, laicos vero ad aliquam tantum portionem.

(8) *Potest tamen eleemosyna fieri ex*

alienis, quando proximus est in extrema vel quasi extrema necessitate, et aliunde succurri non potest. Ita cum Busembaum S. Alphonsus (lib. 2. n. 33.), qui addit: *Si vero potuisses rem tuam largiri, et dedisti alienam, videtur quod tenearis ad restitutionem.* Ita Croix (lib. 3. p. 2. n. 434.) cum Sporer. Sed revera Sporer de hac re paulo aliter ita scribit (In 4. Dec. Praec. cap. 6. n. 50.): *Cum plures sciunt extremam necessitatem proximi, omnes tenentur succurrere per aequas partes: si nolint alii, omnes tenebuntur in solidum, omnesque scientes et omittentes peccabunt mortaliter. Si unus velit totum praestare per se, alii liberabuntur. Quod si vero aliis de contribuendo admonitis et recusantibus, unus totum praestitit, poterit partes ratas ab aliis iure exigere, vel compensare.* Caeterum si quando eleemosyna fiat ex alienis in extrema necessitate, cavendum est 1^o ut haec sint superflua vitae alterius; 2^o ne sit ea quantitas, ad quam nemo etiam in extrema alterius necessitate largiendam tenetur.

sine mariti consensu, nisi ex bonis omnino propriis, quorum scilicet dominium simul administrationemque habet et fructus percipit. — S. Lig. n. 33.

Resp. 3^o Filii nihil dare possunt, nisi in rebus valde tenuibus. Excipe nisi bona habeant propria, aut ex patris consensu aut alio titulo libertati ipsorum permissa. Famuli vero nihil sine consensu expresso, vel tacito, aut prudenter praesumpto dominorum suorum. — S. Lig. ibid.

229. **Resolves.** — 1^o Peccant divites qui pauperes semper dure a se repellunt, et reservant omnia superflua ad statum altiozem acquirendum. Nam alioqui tam modica eleemosyna, quae superius recensita est, honestum ascensum ad statum superiorem impedire non potest.

2^o Ab eleemosynis excludendi non sunt alienigenae aut infideles, qui in necessitate versentur, servato tamen recto Charitatis ordine, et nisi iusta de causa obtinuerit alicubi mos vel statutum pauperes peregrinos a civitatibus arcendi, ut scilicet a suis civibus alantur.

3^o Nulla tamen est obligatio eleemosynam faciendi pauperibus laborare nolentibus, quia non sunt vere pauperes; imo illicitum id foret utpote illis nocivum.

4^o Tenentur medici, advocati, etc. operam pauperibus gratis impendere, quia sunt in vera necessitate, nec ab aliis adiuvari possunt. — S. Thom. 2. 2. quaest. 71. art. 1.

5^o Non eximuntur a praecepto eleemosynae qui degunt in civitatibus, ubi prohibetur eleemosynae petitio, quia non desunt alia media praecepto satisfaciendi, v. gr. erogando pecuniam collectoribus in Ecclesiis, etc., vel Parochis aut aliis curae indigentium praepositis (9). Ubi autem urget praeceptum succurrendi proximo in extrema necessitate, non est exspectanda pauperis petitio.

PUNCTUM II. — *De correctione fraterna.*

Correctio fraterna est admonitio, qua quis ex Charitate alium a peccato revocare conatur (1).

(9) Ubi interdicitur eleemosynae petitio, pauperes ali publicis stipendiis solent; atque adeo quisquis solvit tributa, iam aliquid in eum finem tribuit, quod ad implendum eleemosynae praeceptum conferre plus minusve potest.

(1) Fraterna correctio, seu *correptio* (ut mavult S. Thomas, 4. dist. 19. q. 2. art. 1.) proprie spectat emendationem la-

psus praeteriti. Eam autem sic definit (ibid.) S. Doctor: *Correptio fraterna est admonitio fratris de emendatione delictorum fraterna charitate procedens..., et notificatur per tria, quae ibi ponuntur, scilicet actus ipse, cum dicit admonitio fratris; finis, cum dicit de emendatione delictorum, principium, cum dicit fraterna charitate procedens.*

230. **Principia.** — I. Datur verum praeceptum fraternae correctionis. Constat 1^o ex lege naturali Charitatis, qua ad proximi mala submovenda obligamur. — 2^o Ex Scriptura sacra, *Eccli.* 19. 14: *Corripi proximum... ne forte iteret*; et *Matt.* 18. 15: *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripi eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.*

II. Ad obligationem strictam huius praecepti requiritur 1^o Ut certo constet de peccato proximi, aut de proximo peccandi periculo (2). — 2^o Ut affulgeat spes aliqua, imo maior probabilitas emendationis — 3^o Ut non sit alius aequè idoneus, qui correpturus credatur. — 4^o Ut correctio fieri possit absque gravi incommodo corripientis. — 5^o Ut necessaria iudicetur ad delinquentis emendationem, nec spes saltem probabilis sit, eum sponte sua se emendaturum. — S. Lig. n. 38. et seq., *aliquae communiter.*

Cur vocetur *fraterna*, etiam cum fit a praelato, sic egregie S. Doctor (ibid.): *Aliquis, a via rectitudinis discedens, dupliciter potest ad viam reduci... Uno modo per timorem turpis aut odium ipsius, ut cum quis turpitudinem peccati abominatur et confusionem inde consequentem. Alio modo per timorem et odium tristis, sicut cum quis propter poenas illatas pro peccatis, vel quas timet inferri, resilit a peccato* Et postquam advertit primum modum magis proprie correctionem, alterum vero correctionem dici, pergit: *Secundus modus solis praelatis competit, quorum verba vim coactivam habent per inflectionem poenarum; sed primus modus ordinem praelationis non requirit: quamvis etiam praelationis ordo ipsum requirat, quia secundus modus adhiberi non debet, nisi ubi primus locum non habet, etiam a praelatis. Et ideo correctio, quando praeter ordinem praelationis fit, vocatur fraterna.*

Pulchre etiam reddit S. Doctor rationem, cur *delictorum* potius, quam *peccatorum* emendatio dicatur (ibid. ad 5.): *Nullus movetur ex odio vel timore turpis, nisi ille, cui inest aliquantulum*

voluntas pulchri et boni: et ideo cum correptio procedat hac via..., proprie illi competit ut corripiatur, qui habet propositum boni, a quo tamen vel propter ignorantiam, vel propter aliquam desidiam avertitur; et ideo magis proprie respicit omissionem, quae in ipsa transgressionem considerari potest, quam transgressionis perversitatem: et propter hoc convenientius dicitur delictorum, quam peccatorum emendatio.

(2) Iam adnotatum est, ad fraternam correctionem munus proprie spectare non arcendi delicta futura, sed praeterita emendandi.

Caeterum materia correctionis non modo peccata mortalia possunt esse, sed etiam venialia. Rationes autem, cur rarior quoad venialia sit obligatio, vide apud Laymann (lib. 2. Tr. 3. cap. 7. n. 3.). Merito tamen Diana (tom. 7. Tr. 4. res. 8.) addit exceptionem, si sermo sit de *Ordinibus religiosis*. Si enim per venialia peccata aut dissolvitur, aut etiam valde minui vigor disciplinae videatur, gravis esse poterit obligatio non in praelatis modo, sed etiam in privatis, cum utrique ad gravissimum hoc malum religionis avertendum ex charitate teneantur.

231. **Quaesita.** — QUAER. 1^o *An sub gravi obliget praeceptum fraternae correctionis?*

Resp. Affirm. per se, si adsint requisitae conditiones, et agatur de materia gravi. Hinc peccare potest graviter, qui ex vano timore, ne proximus aliquatenus offendatur, vel ne ipse inde leve patiatur detrimentum, omittit correctionem in re gravi, ubi putat illam esse vere profuturam. — Leviter tamen peccat, qui ex pusillanimitate et verecundia se reputat minus idoneum ad corripiendum. — S. Thom. 2. 2. qu. 33. art. 2. — S. Lig. n. 37.

QUAER. 2^o *An praeceptum correctionis locum habeat, ubi quis ex ignorantia peccat?*

Resp. 1^o Affirm., si agatur de ignorantia vincibili, quia haec non excusat a peccato, iuxta dicta n. 14.

Resp. 2^o Si vero ignorantia sit invincibilis, non tam agitur de fraterna correctione quam de commonitione, qua proximus de veritate docetur; siquidem correctio est admonitio fratris de emendatione delictorum. Porro in casu Charitatis multipliciter impellere potest, nempe 1^o ob damnum tertii; 2^o ob damnum ipsiusmet ignorantis; 3^o ob scandalum; 4^o ob Dei honorem; 5^o ob Religionis irreverentiam. Quod si nullum damnum, aut incommodum sequeretur, nulla fere aderit obligatio faciendi admonitionem, nisi quoad eos qui ex officio suo alios docere debent, inter quos est etiam Confessarius. Docendi autem sunt tum quia ignorantia est malum ipsius ignorantis, tum quia alia incommoda profluere inde possunt et solent.

Addunt generatim, etsi fructus non speretur, et ignorantia sit invincibilis, tamen monitionem adhuc fieri debere, si agatur de necessariis necessitate medii, vel de iis quae publicum scandalum praebent, ne scilicet alii putent id licere, quod non corrigatur. — Scavini.

232. — QUAER. 3^o *Qualis ordo servandus sit in correctione fraterna?*

Resp. Servandus est ordo a Christo ipso assignatus, nisi circumstantiae aliud suadeant. — Hinc 1^o Corripi secreto: *Corripi eum inter te et ipsum solum.* 2^o Coram testibus, si prior admonitio non sufficiat: *Si te non audierit, adhibe tecum unum vel duos.* — 3^o Rem deferas ad Superiorem: *Dic Ecclesiae (Matth. 18. 15. et seq.).*

Aliquando ordo ille inverti potest et debet, scilicet. — 1^o si peccatum sit publicum vel mox publicandum; — 2^o si sit graviter alteri noxium: — 3^o si secreta admonitio non iudicetur profutura: — 4^o si praestet rem statim Superiori manifestare; 5^o si delinquens cessit iuri suo, ut fit in variis Ordinibus religiosis (3). — S. Lig. n. 40. etc.

(3) Haec iuris proprii cessio, ut non Superiori liceat, opportunissima ac prope praemonito delinquente rem deferre ad necessariam est ad bonum tum commune

233. **Resolves.** — 1^o Correctio fraterna cum vera etiam quoad modum Charitate facienda est; debet igitur esse paterna erga inferiores, benigna inter aequales, et reverentia erga Superiores (4).

2^o Privati inter se raro ad correctionem tenentur, *saltem sub gravi*, nisi sint familiariter inter se coniuncti; quia raro omnes requisitae conditiones reperiuntur (5); rarius adhuc erga Superiores propter ineptitudinem.

3^o Plerumque suadet prudentia, ut omittatur correctio erga eos, quorum indoles est penitus ignota, ne iniquo animo correptionem accipientes fiant deteriores.

4^o Scrupulosi ordinarie excusantur a fraternae correctionis officio; quia aut nimium defatigantur, aut inepti sunt; scrupulis enim et anxietatibus perturbati, necessaria discretione ad corrigendum carent, et ad causas excusantes attendere non valent.

5^o Praelati, Episcopi, Pastores, Magistratus tenentur, etiam cum magno incommodo, impedire peccata tum publica, tum occulta subditorum suorum (6), quia ex iustitia ad procurandum tuendumque bonum commune obligantur.

6^o Tenentur ex officio Superiores invigilare in subditos, et inquirere

tum privatorum. Privata enim inter fratres correptio multas difficultates saepius involvit, et spes emendationis non raro est incerta. Porro aut correptionis omissio aut exitus eiusdem incertus grave tum rei tum bono communi nocuum afferunt: contra vero opera Superioris et certior et efficacior sperari potest.

(4) Huc spectat, ut tempus, locus, aliaque adiuncta opportune seligantur. Idcirco non peccat, qui rem ad aliud tempus differat, quando vel commodius vel aequae commode corripere queat, nisi forte ex dilatione grave imminet periculum. Apposite S. Thomas (2. 2. q. 33. art. 2. ad 3.): *Fraterna correptio omitti potest... meritorie, quando ex charitate aliquis correptionem omittit. Dicit enim Augustinus in I. De Civ. Dei: Si propterea quisque obiurgandis et corripiendis male agentibus parcat, quia opportunum tempus inquiritur, vel iisdem ipsis metuit ne deteriores ex hoc efficiantur,.... non videtur esse cupidi-*

tatis occasio, sed consilium charitatis.

(5) Huc faciunt, quae graves DD. tradunt de eo, qui non compestat detrahentes. Qua de re S. Thomas (2. 2. q. 73. art. 4.): *Si non placeat ei peccatum, sed ex timore vel negligentia vel etiam verecundia quadam omittat repellere detrahentem, peccat quidem, sed multo minus quam detrahens, et plerumque venialiter.* Hac autem in re multa discretione utatur Confessarius, oportet. Neque enim exigere potest, ut quis detractionem praeoccupet, quando ne satis quidem scit, quo sermo alterius tendat: hoc enim et iniuriam alteri foret, et nimis scrupulis obnoxium. Si vero detractio manifeste prodit, damnum quidem iam vix reparabile est, fraterna vero correptio tunc temporis multo difficilior, et saepius ad irae excitandum aestum, quam ad emendandum detractorem aptior invenietur.

(6) Hoc tamen officium, ut ex praemissa definitione patet, proprie ad fraternam correptionem non pertinet.

eorum peccata, non admodum tamen de certa quapiam persona, nisi ad hoc illos peculiaris aliqua ratio permoveat (7). Nec facile admittere debent spontaneos accusatores, et multo minus fidem statim illis praebere, quia interdum isti specie boni communis seipsos quaerunt.

7^o In communitatibus sub regula viventibus, in collegiis, seminariis, etc. plerumque expedit, ut correctio fiat via denuntiationis ad Superiorem aut per se, aut per alium (8); nec possunt absolvi sodales aut convictores in eiusmodi denuntiationem non consentientes, ubi de gravi damno communitatis agitur. Item de iure naturali denuntiandi sunt Superioribus ecclesiasticis Sacerdotes corruptores, qui magnum fidelibus spirituale damnum inferunt, vel illaturi videntur. — *Ita communiter.*

(7) Munus indagandi ad Superiores pertinet, quatenus specialem singulorum et praeterea totius communitatis curam gerunt, nullatenus vero ad officium fraternae correctionis, quae, ut sup. diximus cum S. Thoma per se fit praeter ordinem praelationis. Bene S. Thomas (2. 1. q. 33. art. 2. ad 4.): *Ille beneficia, quae non debentur certae personae, sed communiter omnibus proximis, sive sint corporalia sive spiritualia, non oportet nos quaerere, quibus impendamus, sed sufficit, quod impendamus eis, qui nobis occurrunt... Et propter hoc dicit (Augustinus), quod admonet nos Dominus noster, non negligere invicem peccata nostra, non quaerendo quid reprehendas, sed videndo quid corrigas. Alioquin efficeremur exploratores vitae aliorum contra id quod dicitur Prov. 24: Ne quaeras impietatem in domo iusti, et non vastes requiem eius.*

Praeter quam quod vero ista indagatio evaderet onus intolerabile, prout sane ii sentiunt, qui praesunt, *vitiosa est et reprehensibilis* ut bene monet Diana (tom. 7. Tr. 4. res. 25. n. 3.); *quia generat scandala, et occasionem praebet odiis et dissensionibus. Nam homines moleste ferunt, sua ab aliis facta scrutari, et*

suapte natura talis inquisitio iniuriam infert proximo, cuius honori adversatur et aestimationi, quam de se optimam omnes haberi cupiunt.

(8) Sedulo distinguenda est denuntiatio, quae *evangelica* dicitur ab altera, quae *iudicialis* appellatur. Prior, quae fraternae correptionis propria est, fit superiori ut patri, et per se primo tendit ad bonum denunciati. Altera vero fit superiori tamquam iudici, ut ex cognita causa procedat, et tendit ad bonum aliorum, praesertim commune vel ipsius denunciantis. Porro ubi denuntiatio superiori fiat mere ut patri, nullatenus ipse potest ut iudex procedere.

De hoc S. Thomas (Quodlib. XI. art. 13.): *Si ego scio, quod frater per me corrigetur, tunc non debeo hoc denuntiare praelato. Si autem videtur, quod hoc melius fiat per praelatum, et praelatus nihilo minus sit pius, discretus et spiritualis, non habens rancorem seu odium adversus illum subditum, tunc licite potest hoc denuntiare sibi; et tunc non dicit Ecclesiae, quia non dicit ei sicut praelato, sed sicut personae proficienti ad correptionem proximi et emendam.*

§. III. De vitiis Charitati proximi oppositis.

Praecipua sunt odium, invidia, rixae, scandalum et cooperatio peccatis alienis.

De duobus posterioribus tantum dicemus, cum de aliis iam actum sit alio loco, vel in quinto Decalogi praecepto sit dicendum.

PUNCTUM I. — De scandalo.

SECTIO I. — De scandalo in genere.

234. — DEFINITIO. Scandalum est dictum vel factum minus rectum, praebens alicui occasionem ruinae spiritualis.

DIVISIO. Distinguitur scandalum *directum* vel *indirectum*, prout actio mala alterius vel intenditur, vel quamvis non intendatur, tamen praevidetur saltem in confuso.

Scandalum *directum* dicitur etiam *diabolicum*, quando intenditur proprie ruina spiritualis proximi. Si vero non intenditur spiritualis ruina alterius, sed solum propriae voluntatis satisfactio, dicitur *simpliciter directum* (1).

Theologi communiter distinguunt scandalum *activum* et *passivum*. Scandalum *activum* illud est, cui convenit data definitio. *Passivum* est ipsa ruina spiritualis proximi, atque improprie vocatur scandalum, cum melius dici debeat effectus scandali (2).

Scandalum autem potest esse *activum* seu *datum*, quin sit *passivum* seu *acceptum*; quia poni potest actio apta per se ad scandalum, quin subsequatur effectus. Et vice versa potest esse *acceptum*, quin sit *datum*; tunc autem scandalum non proprie tribuendum est actioni proximi, sed potius ignorantiae, imaginationi, aut etiam malitiae illius qui scandalum

(1) Brevius Suarez (*De Char.* disp. 10. sect. 2. n. 4.): *Tribus modis intelligi potest, unum adducere aliquem ad peccandum. Primo hac intentione, directa, ut spiritualiter moriatur, sicut facit daemon. Secundo directe etiam inducendo ad opus, non ut ruat, sed propter utilitatem vel oblectationem aliquam meam. Tertio indirecte tantum, aliquid faciendo, unde ille excitatur ad peccandum.* 1^{um} cum Card. de Lugo (*De Poenit.* disp. 16. n. 157.) dici potest scandalum *directum et formale*; 2^{um} *simpliciter directum*; 3^{um} *indirectum*.

(2) *Est advertendum*, inquit Suarez (*De Char.* disp. 10. sect. 1. n. 1.), *vulgo solere putari et dici hoc scandalum passivum non tam ruinae spirituales, quae consistit in peccato, quam veluti admirationem et rumorem, qui excitatur in proximis ex peccato alterius; sed nunquam illud habet propriam rationem scandali, nisi aliquam malitiam includat, quae originem aliquo modo ducat ab illo, qui dedit scandalum, ut colligitur ex Hieronymo... et D. Thoma.*

patitur, vel sine fundamento admittit. Hoc autem dicitur scandalum *pusillorum*, si ex infirmitate vel ignorantia proximi suscipiatur; vocatur vero *pharisaicum*, si ex mera subiecti malitia proveniat. — S. Lig. n. 43.

235. **Principia.** — I. Scandalum, etiam indirectum, est non solum peccatum grave ex genere suo, sed peccatum malitiae specificae (3) maximum et horrendum, cum in gehennam detrudat animas a Christo redemptas. Propterea exclamat Christus Dominus, *Matth.* 18. 7.: *Vae mundo a scandalis... Vae homini illi per quem scandalum venit* (4).

II. Scandalum *pusillorum* seu infirmorum vitandum est, quoties fieri potest sine gravi incommodo, tum operis indifferentis, tum etiam operis boni non praecepti omissione; ratio, quia ex Charitate ruina pusillorum impedire tenemur cum facile possumus, v. gr., abstinendo ab actione non valde utili, aut eam differendo, vel nostram agendi rationem exponendo, etc. (5).

(3) Specifica huius peccati ratio est, ut sit contra charitatem, et ut inquit S. Thomas (2. 2. q. 43. art. 3.), *opponitur directe correctioni fraternae, in qua intenditur specialis nocenti remotio*. Sunt autem, qui putent S. Thomam id tenuisse tantum de scandalo *directo*, et quidem quo peccatum alterius intendatur ut malum eius spirituale. Ita Suarez (*De Charit.* disp. 10. sect. 2. n. 4.), qui pro eadem opinione alios e veteribus allegat. Verum illa verba S. Thomae: *Quando aliquis... intendit alium pertrahere ad peccandum*, non significant necessario intentionem pertrahendi ad peccatum, *quatenus est malum spirituale alterius*. Alioqui vero ipse Suarez eundem S. Doctorem (ibid. n. 3.) pro se citat, ubi malitiam scandali propriam *cuiuslibet directo* scandalo tribuit.

Hanc autem malitiam inesse etiam scandalo indirecto, communis est doctrina contra nonnullos veteres (*apud* Suar. 1. c. n. 5.), et facile evincitur. Constat enim peccatum aggravari, etiam nova specie, ex nocimento praevisto cum obligatione illud vitandi, etiamsi non sit per se intentum: idque plane evidens est, quia in moralibus voluntarium *directum* et *indirectum* ad eandem speciem pertinent.

(4) Ne inferas tamen, peccatum scandali semper esse mortale. Peccari enim in hoc venialiter potest non modo ob imperfectionem actus, sed etiam ob materiae parvitatem, si nempe alium inducas tantum ad culpam levem, v. gr. ad mentendum: Ita S. Thomas (2. 2. q. 43. art. 4.): *Si vero intendat inducere proximum ad peccandum venialiter... est peccatum veniale*. Et hoc quidem, ut habet S. Thomas (l. c.), valet non solum quoad scandalum *indirectum*, sed etiam quoad *directum*; et intelligendum est de actu, quatenus spiritualement alterius ruinam inducit. Si enim actus, quo scandalum paritur, *in se* spectetur, profecto (ut bene advertit Sanchez, *Moral.* lib. I. cap. 6. n. 11.) fieri poterit, ut opus alioqui per se mortale, tamen leve sit quoad rationem scandali, et viceversa grave sit ratione scandali, licet per se aut leve aut etiam nullo modo malum sit, sed solam mali speciem habens; unde illud Pauli (1. *Cor.* VIII, 13.): *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum*.

(5) Cum vere hoc etiam pacto ruinae spiritualis occasio praebeatur proximo, adeo ut aliquo sensu proprio ruina haec causari dicatur; propterea aliis placuit, hoc